[...]onia.

Domaszewski Stanislai Epithalamium in nuptias Petri Dunin dum Febroniam Misiowska duceret in sponsam.

Aum. physicoanimasticorum.

EPITHALAMIVM

In Nuptias:

Generoſi ac Magnifici Domini,

D. PETRI DVNIN,

Aulici & Cubicularij Sereniſsimi VLADISLAI SIGISMVNDI, Dei Gratia Poloniæ, Suecię Principis, Electi Magni Ducis Moſcouiæ, Smoléſceñ, Seuerieñ, Cernihouieñ. &c. &c. Ducatuum Adminiſtratoris.

DVM

Generoſam Virginem FEBRONIAM MISIOWSKA:

Generoſi ac Magnifici Domini,

D. ADAMI MISIOWSKI,

De Smilowa Wola, duceret in Spõſam.

A

STANISLAO DOMASZEWSKI. Artium & Philoſ. Baccalaureo, debiti honoris ergo

D. D.

CRAC: Typis Mathiæ Andreou. 1629.

In Stemma Perantiquum, Magnificorum D. D. DVNINORVM.



Cygne, quid Argolicis, inſultas integer armis,
Cum tamen Aacidæ es, robore factus olor.
Factus olor! niueis exultass áere pennis,
Hâc neque conceſſum eſt conditione mori.
Crede mihi viuis, maiori munere Diuûm,
Fælix prole virûm nobiliore polo.
Sarmaticam, ipſe tuo exornas, in Stemmate gentem,
Duniadum meritis iam Deus eſſe potes.

In Stemma Patrium,
Magnificorum DD. MISIOVIORVM.



Quid ſibi trina volunt producto haſtilia ferro?
O quantus magno in Stemmate fulget honos?
Hæc antiqua tuæ MISSIOVI *Symbola gentis,*
Immortale ferunt, pignore amoris opus.
Fælix qui Martem cum relligione ligaſti,
Marte places Patriæ, relligione Deo.
A quacunq; venis trux hoſtis parte, paratum
Haſtarum oppoſitu præſidium inuenies.

Fælices ter amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus querimonijs
Suprema citius soluet amor die.

Horatius lib. 1. Carm. Ode 13.

QVÆ vox? quis cãtus per tot discrimina vocum
Innumeris numeris, modulãtibus omnia ner-
Alternisq́; choris circũsonat? procul ecce canoro (uis,
Descendunt Helicone Deæ geminantq́, nouenâ.
Lampade, solennem thalamis cóeuntibus ignem,
Sacra canunt, plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Nec non Threycius longâ cum veste sacerdos,
Obloquitur numeris, septem discrimina vocum.
Omnibus vna quies operum, cunctiq́; relictis
Consurgunt mensis, per limina læta frequentes,
Discurrunt, variantq́; vices, populusq́;, patresq́;
Matronæ, pueri, vocemq́; per ampla volutant,
Atria; quos sequitur iuuenum numerosa caterua,
Fronde nouâ, redimita comas, myrthoq́; virenti,
Exultant, lætoq́; sonant caua littora plausu.
Cui noua plectra moues Pæan? humeroq́; comanti
Facundum suspendis ebur? glomerata virûm vis
Quid notat? aut pleno circumsepta inde tumultu
Atria? quid circum magno se voluere gyro

 Incipiunt

Incipiunt Patres, pueri, innuptæq; puellæ?
Agnosco geniale decus, pompamq́; paratam
Pande fores Febronia, te chorus concinit iste.
Te Phæbus, Phæbiq́; canit, numerosa cateruа.
Ecce tibi Calathis, Nymphæ, dant lilia plenis
Sertaq́; blandus amor: pulcherrima gratia frontem
Floribus innumeris cingit: Venus ipsa Coronam
Auro intertextam, signis gemmisq́; rigentem.
Vos dociles thalamis versus deducite Musæ,
Mellifluosq́; iterum reparate in carmina neruos.
O quoties Nympham, templis effusa iuuentus,
Turbaq́; miratur matrum, & prospectat euntem,
Fronte premit, crinem fingens, atq; implicat auro
Flagrantes perfusa genas, cuî plurimus ignem,
Subiecit rubor, & calefacta per ossa cucurrit.
Vos dociles thalamis versus deducite Musæ,
Mellifluosq́; iterum reparate in carmina neruos.
Mirantur circumq; oculos, circumq; decoram,
Osq; genasq́;, humerosq;, & circum virginis omnem,
Laudatam speciem, decus inuiolabile formæ.
Nempè pudicitiæ, huic semper iustissima cura;
Et pietatis amans, charæ de more parentis.
Consuêrat precibus, onerare altaria Diuûm

Vos

Vos dociles thalamis verſus deducite Muſæ,
Mellifluosq́; iterum reparate in carmina neruos
Vt qui perpetuis viret hortus conſitus vmbris,
Mobilibusq́; hæret, per quadrua compita viuis
Laudetur, licet Ideæ ſub ſydere capræ,
Seu cum libra oritur, ſeu cum ſata Syrius vrit.
Eſt tamen egelidos, Tauro referente tepores,
Gratior: erumpunt tum lento vimine frondes,
Tum pingunt varijs, decorantq́; coloribus herbas,
Liliaq́;, violæq;, roſæq;, breuesq́; Hyacinthi,
Sic quæ formoſo, fulſit Febronia cultu,
Aedibus aut ſacris, aut auctæ mollibus vrbis,
Aut magè priuatis opibus, luxuq́; decenti,
Nũc pulchra eſt, nũc grata magis, formoſior omnëis.
Vos dociles thalamis verſus deducite Muſæ,
Mellifluosq́; iterum, ráparate in carmina neruos.
Ipſe inter primos Veneris, iuſtiſſima cura,
Expleri nequit, atq; oculos per ſingula voluit.
Petrus Duniades, chari ſpes magna parentis
Pictus, acu chlamydem, auratam, quam plurima circũ,
Purpura Mæandro, duplici Mælibæa cucurrit.
Vos dociles thalamis verſus deducite Muſæ,
Mellifluosq́; iterum, reparate in carmina neruos.

Qualis vbi Oceani, perfusus Lucifer vndâ,
Extulit, os sacrum cælo, sic ora ferebat.
Sic oculos cursuq́; amens, ad limina tendit.
Illum turbat amor, figitq́; in virgine vultus
Suspirans, longamq́; trahens è corde querellam,
Gaudiaq́;, & dulces animi, sine fraude susurros.
Vos dociles thalamis versus deducite Musæ,
Mellifluosq́; iterum, reparate in carmina neruos.
Ergo insperato mentem, iam saucius ictu
Ibat, & occulto consumebatur ab igne,
Inq; dies magis, atq; magis graue vulnus alebat.
Dum facies simulata animo, dum numina gentis,
Factaq́; & innumeri, simul obuersantur honores.
Vos dociles thalamis versus deducite Musæ,
Mellifluosq́; iterum, reparate in carmina neruos.
Quod vbi conspexit roseâ virtute Cupido,
Lustrat Febroniam, longaq́; indagine circum,
Florentes ætate furit, formâq; puellas,
Acer amor, tacitumq; furens in mollia flauæ,
Virginis auratam, iaculatur corda sagittam.
Vos dociles thalamis versus deducite Musæ,
Mellifluosq́; iterum, reparate in carmina neruos,
Ac simul in teneris, præcordia iecit amantis,

Demul-

Demulcetq́; animos, tacitumq́; inſpirat amorem.
Connubij, redeunt animo iam dona precesq́;
Et lachrymæ, vigilesq́; viri, propè limina quæſtus.
Vos dociles thalamis verſus deducite Muſæ,
Mellifluosq́; iterum, reparate in carmina neruos.
Incedunt pueri, pariterq́; ante ora parentum,
Dona ferunt, pallam ſignis, auroq́; rigentem,
Ingentes gemmas Capiti, colloq́; monile;
Baccatum & pictum Croceo, velamen acantho.
Vos dociles thalamis verſus deducite Muſæ,
Mellifluosq́; iterum, reparate in carmina neruos.
Flos veterum, ſplendorq́; virûm tibi dicitur vxor:
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos,
Exigat, & pulchrâ faciat te prole parentem.
Digna quidem meritiſq́; tuis, meritiſq́; tuorum
Merces, digna tuos, quæ compenſare labores,
Iam poterit, longæ, & ſuper addere gaudia vitæ.
Vos dociles thalamis verſus deducite Muſæ,
Mellifluoſq́; iterum, reparate in carmina neruos.
Inſignes pietate ſimul, meritiſq́; potentes,
Conuenêre Domus, cœlo ſublimis origo.
Altera: Sarmatico quid fortius altera in orbe?
Quæ regio in terris, magnorum oblita laborum,
Duninorum vnquam fuit? aut rumore ſecundo,

Quæ non MISSIOVIÆ penetrauit gloria gentis,
Fælices meritisq́; viri? fælicia semper,
In genus & Patriam, altorum monumenta laborum?
Vos dociles thalamis versus deducite Musæ,
Mellifluosq́; iterum, raparate in carmina neruos.
O præstans animi iuuenis, fortissimus ille es,
Vnus qui nobis, virtutem extendere factis,
Nobilitate potens, opibusq́; insignis auitis,
Ante annos animumq́; gerens, curamq́; virilem,
Ausus & augustis, superaddere rebus honorem,
Vos dociles thalamis versus deducite Musæ,
Mellifluosq́; iterum, reparate in carmina neruos.
Quid memorem spolia, illa tuis pendentia tectis,
Magnanimum Heroum, tot iam labentibus annis,
Quin etiam veterum effigies, decora alta parentum,
Mores & studia, & sacris in postibus arma.
Fortia facta Patrum, pugnataq́; in ordine bella,
Iam dudum famâ magnum vulgata per orbem.
Vos dociles thalamis versus deducite Musæ,
Mellifluosq́; iterum, reparate in carmina neruos.
Te quoq́; magna manent opera, ad maiora remitter,
Gratior & pulchro, veniens è corpore virtus.
O quoties sternacis equi, per deuia saxa
Per iuga, per cliuos, per præcipites conualles,
Terga

Terga fatigantem, & duris calcaribus armos
Frangentem, hinc illinc rumpentemq́; ora lupatis,
Viderunt Nymphæ, & fælix iter ire præcatæ,
Arſerunt tenues, flamma rapiente medullas.
Mille afflicta malis, virtutis Pruſſia teſtis,
Ipſa manet: toties duri in certamine Martis.
Vos dociles thalamis verſus deducite Muſæ,
Mellifluosq́; iterum, reparate in carmina neruos.
Fælix ô tanti virgo coniuncta marito,
O fælix tantæ iuuenis, coniunctæ puellæ.
Iam lætare tuis, maioraq́; concipe votis,
Votaq́; iunge pijs precibus, ſatiare petito,
Coniugis amplexu. Pone ô ſuſpiria anhelo.
Pectore ducta: tua eſt Febronia limine aperto,
Ire redire licet, iam nuſquam ianitor aut lex.
O chare genitricis amor, Febronia luxq;,
Iam te ſub leges vocat, & ſua iura maritus.
Vobis progeniem, veteri de ſanguine claram,
Sic teſtem laudis, teſtem virtutis auitæ,
Det Deus: idem animus ſit, vtriq́; eademq; voluntas.
Æternos vobis Cypris Dea, Cypris amores,
Concordesq́; animos, & mutua vincula nectat,
Vincula quæ ſeræ, maneant ad fata ſenectæ.
Fortunati ambo, non hæc ſine munere Diuûm
Proue-

Proueniunt: forma egregij nec discrepat ætas,
Vobis parta quies, omnisq; in limine portus,
Quod optastis adest: timor omnis abesto.
Tuq; prior iuuenis, nam te maioribus indè,
Auspiciis manifesta fides iubet ire per altum.
Egregia interea coniunx tua maxima cura
Incumbet, generis lapsi sarcire ruinas.
Fælix prole virum, dulces circum oscula nati,
Dependent chari, pulcherrima dona parentis,
Accipiet natosq; pater, paruosq; nepotes.
Non vestrum est thalamis, versus deducere Musæ,
Hoc cui Nympha fauet nimium, canat ipse maritus.
Hæc igitur sterili, quæ sunt deprompta Minerua,
Suscipe Mecænas, oculisq; reuolue serenis.
O nimium genitor cælesti munere Diuûm,
Fælix tanta tuis, effundens præmia natis,
Mille senile etiam, pertentant gaudia pectus,
Egregiè meritis natos, cum illustribus omnes,
Patriam adornasse, & magnos geminasse labores
Aspicit: ô longos viuacis Nestoris annos,
Viue diu fælix Mecænas, viue superstes
Iuppiter ingentes det opes, det Iuppiter annos
Et prolem egregiam longum propaget in Æuum.